



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm  
Miracvlorvm Libri II**

**Petrus <Cluny, Abt>**

**Coloniae, 1611**

XXVI. De visione fratris Enguizonis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)

*De visione fratris Enguizonis.*

## CAPVT XXVI.

**S**VBIUNGATUR & huic visioni altera, quæ quamuis in somnis ut illa apparuerit, veram tamen fuisse, ipse rei exitus cōprobauit. Venerat Cluniacum meo tempore conuersionis causa nobilis vir Enguizo nomine, & ut in primordijs suis erga diuina magis exerceri assuesceret, locum quiescendi ad seruiendum Ecclesiæ, in Ecclesia suscepit. Vbi dū quadam nocte dormiret, videt quendam olim commilitonem suum qui Petrus dicebatur de Rocha, quod castrum in Gebennensi diocesi situm est. Defunctus verò fuerat iam dictus miles in hyseroso'ymitano itinere ante non multum tempus, sed eius obitum supra nominatus frater penitus ignorabat. Nondum enim vel tenuis fama mortis eius, ad eum peruenerat. Visus est ergo ei (vt dixi) iam dormienti in specie illa, qua cum in seculo videre consueuerat. Gaudius est frater, & vt optimè notum ac familiarem, cum alloqui familiariter coepit. Quid est, inquit? quomodo te habes? Ego, ait ille, in transmarino itinere quod te (vt nosti) conscio  
coepi

coepi, defunctus sum. Et frater. Quid est  
 ergo & de socijs qui illud iter tecum ag-  
 gressi sunt. Illi (inquit) & illi, iam de vita  
 excesserunt, illi verò & illi, adhuc super-  
 suat. Quomodo (inquit) tibi est in statu  
 illius vitæ, ad quam transisti? Ad hæc il-  
 le. Bene (ait) mihi est quia misericordiam  
 quam à Deo sperantem, iam consequu-  
 tus sum. Obest tamen adhuc multum, &  
 obstat plenitudini salutis mee, quod pro-  
 ximo tempore antequam Hierusalem  
 pergerem, sacerdotem Ecclesiæ de Seco-  
 niaco, quandam à me decimam exigen-  
 tem, per vineam quandam fugavi, & in  
 exitu vineæ irreuerenter percussi. His fra-  
 ter auditis, & quid (ait) de me tibi vide-  
 tur? Potero consequi salutem quam spe-  
 ro? Saluaberis (inquit) sed ante salutem  
 multa & graua patieris. His dictis, is  
 qui apparuerat miles disparuit. Frater à  
 somno euigilans, cuncta quæ viderat vel  
 quæ audierat, mihi statim mane reculit.  
 Rogauit insuper, ve liceret ei partes illas  
 de quibus miles ortus fuerat, & in qui-  
 bus ea de presbytero acta fuerant adire,  
 & vtrum vera an falsa esset visio iam di-  
 cta, probare. Nam sicut mortem militis  
 nullus ei ante militem nūciauerat, si nec  
 de sociorum eius morte aut vita, si nec

K 7 de fu-

de fuga presbyteri, seu militis percussione, quicquam vel modicum prius audierat. Accepta ergò regulari more licentia, Gebennensis territorij partes adiit, ibiq; à notis & veracibus personis cuncta quæ à mortuo audierat, vera esse agnouit. Nā & quod de presbytero actum fuerat tam ab illo quàm ab alijs didicit, & paucos post dies, mortem militis & eorum quos mortuos ille nunciauerat audiuit. Quæ postquam parētibus defuncti innotuerunt, bono vsi consilio, quod in presbyterum ille deliquerat, ipsi pro eo dignè satisfaciētes presbyterum ille deliquerat, ipsi pro eo dignè satisfaciētes presbytero, expiauerunt. Et quia tam certis indicijs verax fuisse præfata visio probata est, à me vt non dubia sed vt certa, inter cætera miracula conscripta est.

*De cuiusdam pueri vigilantis visione mirabili.*

CAPVT XXVII.

**E**T de mortuorum quidem apertis manifestationibus licet multa superius dicta sint, vnum tamen adhuc addere volo, quod nuper compertum, tacendum non esse videtur. Nam anno, quo hæc scripsi, illud contigerat. Vigilia natalis Domini nocte scilicet,